*ligne excogitatas palliandis erroribus receptis.* Cùm totus in eo fuerim, ut nonnisi antiquam ac constantem Ecclesiæ Rom. doctrinam in medium afferrem. Videat æquus Lector opusculum meum à pag. 335. usque 451.

## Ob Tituli discussionem

### Conringius castigatur.

QVôd Logomachiam movens me p. 12. rides, quia opusculi mei titulus est PHILANTHON, tuus utique te, si videret, rideret *Melanthon*; cùm Germania nostra, non abhorrente Græciâ, viros illustres scribat & dicat Anthon; Galliaque nostri, de quo agimus, sancti nomen pronunciet modo quasi eodem; idemque cum H. scripserint antiqui ferè omnes. Cùmque à Græcis ad Germanos translata sit ipsa Majestas imperialis, licebit utique eis non minùs, quàm Latinis unam alteramvé Græcorum syllabam vocabulis suis, usitatâ terminatione retentâ, præfigere, eademque, si non sint absona, etiam libris latinis tàm inserere, quàm in titulum dare: Sanè Germania, & vestra cumprimis Julia novit Principem Magnum, qui & seipsum scribit & scribitur ANTHON; respectu cuius nisi ipse tu velis esse *Philanthon*, vel ob hoc solum (quod DEUS avertat) ad Tartara te ferret Phlegethon & dirus impellet Charon. *ad pag. 12.*

De vocis verò *Antonii* derivatione nasutiùs tecum græculentur, syllabasq; Græcanicas, seu viles captent muscas, quorum fides est Græca, mea enim est Germana, est Romana; si proindè TU illis, quæ tibi à Politicis seu lectionibus seu meditationibus supersunt, horis (quô de omnibus aliquid mereâre) etiam *Hypodidascalum* velis agere, securiùs eum, quàm Polemicum ages Theologum; interim non curant Theologi, si quando à nasutulis reprehendantur Grammaticastris. Scio, inquit S. Hier. l. 2. apologiæ adv. Ruffin. *inter Christianos verborum vitia non solere reprehendi.* tom. 2. Paris. 1578. col. 322. D.